

1379 ciam, qui in summo etiam periculo privatis odiis stude-
rent: Summum virum, rei maritimæ peritissimum, gesta-
rum rerum gloria excellentem, ad imperium maris non
esse restitutum, non quia e Republica non esset, sed quo-
niam paucorum invidiæ satisfactum vellent. Hujusmodi
vulgi obtrectiones in curiam delatæ: confestim consuli-
tur Senatus, constititque alieno tempore animos civium
eo nomine a Patribus alienari: venisse tempus, dicere, quo
civitatis concordia imprimis studendum esset: qua tenen-
te adhuc, dubium videri an Respublica suo vestigio stare
posset. Restituitur itaque totius ordinis consensu in pristi-
nam dignitatem Victor: manatque rumor per ipsam ur-
bem, imperium maris penes Pisenum recentiore Patrum
decreto futurum: datamque illi eam oram præsidio tuen-
dam, quæ inter urbem esset & Patavinos fines. Fit ita-
que ad illum concursus maximus: instruunturque ad bel-
lum triduo sex triremes: potuissent etiam plures, si plu-
ribus tum opus fuisset, remigio ornari, omnibus certatim
dare nomina cupientibus. Adduntur iis Ganzariolæ pleræ-
que, & alia minora navigia non pauca. Quibus ad profe-
ctionem paratis, cum classe ad portum Pisanus venit: ubi
cum ipso copiarum Imperatore de vallo, quod ab initio
fuerat eductum, in cementitium murum vertendo egit,
deque duabus turribus ad utrumque caput cum præsidio
erigendis. Probarunt id consilium Patres: continuoque ad
opus conversi omnes, quadriduo duæ turres erectæ: qua-
rum prima fundamenta Victor ipse, Thaddæus Justinianus,
Caballus, ac plerique alii viri illustres posuerunt. Inde ea
parte qua vallum fuit, murus erigi cœptus est: quem die-
rum quindecim spacio ab una turre ad alteram, magna
parte civitatis cum milite & remige utriusque classis ope-
rante, productum affirmant. Extant operis vestigia, quæ
Venetum portum introrsum navigantibus ad lævam occur-
runt. Catena ad hæc crassissima circa Judaicam ad hostium
incurfus prætenta est, quatuor tectis navibus ad præsidium
dispositis. Vallum præterea exteriori parte urbis a recenti
muro usque ad Martini fanum, dispositis levioribus navi-
giis,

*Imperium
classis eire-
stitutum.*

*Urbs circa
portum &
aliis locis
valide mu-
nita.*